

Rubeo, Ferdinandi Reipublicæ tormentorum præfecti filio (is Cardinalis copiis præterat) ac Niverniensi Duce Casali morabatur, obfessis opem ferre statuit; atque eodem tempore crebris & literis & nuntiis Mendozzam exhortatus, tandem, Asculano Principe præfecto, quinque peditum millia, quorum Hispanorum duo, tres Cisalpinorum erant, Montisferrati ditiones proficisci jussent; quæ si Mantuanis jungerentur, haud dubium erat, quin & Niceæ subsidia inferrent, & ad obsidionem solvendam Sabaudum compellerent. Sed Franciscus Castilioneus Vincentio, ut ab armis supersedeat, significari jubet: inter pacis, quæ agitabatur, negotia, vi minime esse agendum. Eo auditio, negat Vincentius, quod Castilioneus cuperet, facturum; sibi immotum esse, suppetias obfessis ferre: haud exiguum Asculano Princi eo facto notam inustum iri. Neque ob id cessat Castilioneus; sed ut in Cæsaris potestate oppida permittantur, omnibus ingenii nervis contendit. Verumtamen, jam Asculano in Montisferrati ditiones profecto, Vincentius Niceam cum exercitu ingreditur. Vetus, sancti Georgii comes, ac Verrua, Allobrogicarum copiarum præfecti, cum Asculano significassent, se regiis vexillis obfistere nulla ratione velle, ad Canellium oppidum, Nicea tribus circiter passuum millibus, se recipiunt. Costans opinio fuit, Hispanos, quæ Mantuano loca Carolus ademerat, nullo negotio obtinere, atque gravius in eum animadvertere potuisse, cum præsertim non absque trepidatione Montem Calvum Sabaudi deserere coepissent. At cuncta ita in eo tumultu administrata fuerant, ut potius Allobrogis partes tueri, quam Mantuano favere (uti vulgaverant) viderentur; palam Asculano dictitante, se nihil, nisi Mendoza jubente, adversus Carolum tentaturum.

Itaque cunctatione negotium protrahebatur, manifesteque apparebat, Mendozzam ex Hispania jussa Regis expectare, quæ tandem mense junio, Alphonso Varga a Rege in Italiam misso, delata sunt: ea vero ejusmodi erant, ut, ni statim Carolus oppida Cardinali restitueret, vi armisque compelleretur. Mendoza illico cum Philippi literis Franciscum Padiliam ad Sabaudum mittit; quem, cum paucos dies moratus esset, tandem cum eo responso dimisit, ut, se Regi obtemperaturum di-

*Ascula-
nus Princ.
Montisfer-
rati ditio-
nes inqz edi-
tur.*

*Alphon-
sus Varga
Philippi Re-
gis manda-
ta ad Men-
dozzam af-
fert.*

*Franci-
scus Padilia
a Mendo-
zza ad Sa-
baudum
mittitur.*